

scribunt in illas barbaricas interpretationes, quae tunc editæ sunt (me-
liores enim habere non poterat) & in tabularum constructionem contua-
tisse, quadringenta millia aurorum. Han liberalitatem in retam pulz-
chra, & utili, miramur, & magnitudinem sumptuum prædicamus, cum
his proximis annis compertum sit, non Reges, sed multos Principes, quo-
rum opes non sunt pares. Alphonsino regno maiorem pecuniam effudisse
in edificationibus inutilibus. Celebrata est & Alexandri liberalitas,
quod octingenta talenta Aristoteli dederit ad inquisitionem naturæ as-
similantium, videlicet Quadringenta millia, & octingenta millia coro-
natorum. Voluntatem horum Regum & virtutem probo, sumpus non
sunt magni: quanto plus enim effudit Alexander in funus Ephestionis &
Sed omitto hanc commemorationem.

Instruxit Deus gubernatores facultatibus, quarum pars aliqua
conservacioni Religionis, & artium debetur, idque ita ordinavit vetustas,
sed propter varias vitæ confusiones, honesta instituta veterum subinde
mutata sunt, & mutabuntur. Interea tamen sapientes & boni Princi-
pes cum sciant pietatem Deo gratiam esse, opem ferre studijs religionis &
artium, non sinant prorsus deleri doctrinam vitæ necessariam, cogitent
ideo se in hoc fastigium diuinitus collocatos esse, ut præcipue sint custos
des rerum diuinarum, veræ sapientie, iusticie, & pacis. Has res cum
& intelligunt & ruerunt, imagines sunt Dei inter homines, qui haec sum-
ma bona vult intelligi, & coli, ut ipsum agnoscamus qualis sit, & ut nos
stramentes cum diuina quantum fieri potest congruant. Haec te ipsum
Princeps ALBERTE sepe cogitare non dubito præsertim in hac se-
necta maturitate, maximeque & optare & anniti, ut ad posteros trans-
mittatur doctrina de Deo integra, & de artibus, quæ & Ecclesie & vitæ
necessariae sunt, qua in re ut gubernet te filius Dei, Dominus noster Iesus
Christus, & te diu seruet incolumem, & tibi heredes donet, qui & virs
tute patrem referant, & ornatam à te patriam feliciter gubernent, ve-
ris cum gemitibus & votis oro. Bene & fæliciter valeat celsitudo tua.
Anno Christi 1551. die 18 Iulij, qui dies C. Cæsaris seculo insignis fuit
exortu canicule in Alexandrino Horizonte, ad cuius stellæ exortum Egyp-
tij olim annum suum magnum accommodarunt, cum alioqui equinoz-
Etia & solsticia certis diebus mensum nequaquam essent adfixa, sed
porro vagarentur per singulos totius anni dies intra annos 1460. Iulia-
nos.

*

PERI